



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

10. Idem Ludouicus Pius Treuerensem S. Maximini Abbatiam an. 822. protegendam suscipit, petente Elisacharo Abbate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT X.

*Idem Ludouicus Pius Imp. Treuerensem S. Maximini
Abbatiam an. 822. protegendam suscipit, petente
Elisacharo Abbate.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. **LYDOVICVS**, diuina propitiante clementia Imperator Augustus, vniuersis Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, seu omnibus publicæ rei seruentibus, tam præsentibus quàm & futuris, notum sit, quoniam insignis vir & Abba **ELISACHAR** de monasterio *S. Maximini*, vbi ipse requiescit, quod dedicatum est in honore *S. Ioannis Euangelistæ*, in ciuitate quæ dicitur *Treueris*, attulit nostræ regalitati quoddam priuilegium senioris & patris nostri **KAROLI**, bonæ recordationis, atque excellentissimi Imperatoris.

In quo sua beniuola largitate denotatum fuit, qualiter supradicto monasterio & monachis, in eo pro regni nostri saluatione Deo fedulo seruentibus, ad necessitates eorum leuigandas, concederet, vt nullus in potestate sua esset, nec post eum futurus, qui in curtis vel in villis eorum placitum tenere, vel quidquam potestatis præsumeret exercere, sine Abbatibus & monachorum permissione, & addens, vt vbiunque naues eorum vel homines peruenissent, nullus telonium ab eis exigere auderet.

Et deprecatus est prædictus Abba, vt iuxta morem paternum, per nostram auctoritatem, idem concederemus: cuius rogationi assensum præbere, omnimodè placuit.

Igitur istud præceptum ad utilitatem monachorum fieri iussimus, per quod imperamus, ne quislibet de iudiciaria potestate, in curtis vel in villas ipsius monasterij ad causas audiendum, nec fideiussores tollendum, neque ad manendum, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendum, ingredi præsumat: sed sicut ipse locus sub antecessorum Regum hætenus fuit conseruatus, ita deinceps per nostram auctoritatem permaneat inconuulsus.

Et vt istud decretum firmitus per tempora conseruetur, manus nostræ subscriptione, & annuli nostri impressione signari iussimus.

Datum

Datum IIII. Nonas Aprilis, anno regni nostri VIII. in Longo. An. 822
Iane, feliciter, amen.

Signum LVDOVVICI serenissimi Imperatoris.
DANANDVS diaconus recognoui.

NOTATIO.

ELISACHAR) seu HELISACHAR, Abbas S. Maximini Treuerensis, est idem, nisi fallor, qui Blandiniensi diplomati, paulò ante recitato, subscripsit.

CAPVT XI.

Gregorius Papa, petente Basino Abbate, monasterio S. Maximini Treuerensis immunitatem & alia priuilegia largitur.

GREGORIVS, seruus seruorum Dei, BASINO venerabili Abbati monasterij S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, atque sanctissimi confessoris Christi MAXIMINI, cuius corpus ibidem quiescit, suisque successoribus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Si semper sunt concedenda, quæ pijs desiderijs congruunt, tanto propensius ea quæ pro diuini cultus religione postulantur, alacri deuotione & omni occasione remota, beniuola intentione continuò sunt largienda & perficienda.

Petisti ergò nos, vti monasterio tuo, quod in suburbio Treueris, in honore S. IOANNIS Euangelistæ constructum esse dignoscitur, vbi prænominatus Christi confessor corpore quiescit, ob confirmandam fratribus, ibidem Deo seruientibus, monasticæ tranquillitatis normam, S. Apostolicæ nostræ, cui auctore Deo deseruimus, Ecclesiæ priuilegium concederemus.

Nosque præ petitioni tuæ assensum accommodare curauimus, decernentes Apostolicæ auctoritatis præcepto, vti congregatio ibidem Deo religiosè deseruiens, sicut per præcedentia tempora à Regibus vel Imperatoribus eidem cœnobio concessum est, liberam deinceps habeat potestatem creandi inter se, quem secundùm Deum sibi elegerit Abbatem: nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona in-